

FA  
171  
46

II n  
6961

*De viris praestantissimis in Republica,  
et doctrina caecis.*

AD  
AUDIENDAS ORATIUNCULAS  
DISCIPULORUM NOSTRORUM  
De

# CAECITATE

DIE CRASTINO,  
*Deo volente,*

IN AUDITORIO MAJORI  
habendas

Venerandos Dnn. Inspectores, Patronos  
Fautoresqve

Perofficiose & peramanter  
invitat.

M. GEORGIUS ANDREAS Winbold/ RECTOR

CIGNEE, LITERIS BUSCHELIANIS.



*Sr. Excellenz H. J. J. J.*  
*von ...*



Simul universam rerum naturam Deus condidit, eo consilio: ut ipse, qui gubernat cursum astrorum, qui mutationes temporum, rerum vicissitudines ordinesque conservat, terras & maria contemplant, qui hominum commoda vitasque tuetur, eo melius intelligeretur: solem quoque, illum mundi oculum, pariter jussit lucere: ne tam præclaræ res opaca nocte tegerentur. Atque ut mens humana tantæ venustatis particeps fieret, vimque caperet divinæ sapientiæ: ad effigiem mentis idem ille moderator oculos fecit, tanquam duas fenestras, quibus imago reluceret rerum pulcherrimarum, inque humani aciem ingenii luculentius penetraret. Unde illud apparet, felicem dici posse, si quis oculorum sensu polleat; qui vero istis quasi speculis careat, miserum plerumque non sine causa & dici & haberi. Quæ quidem miseria eo existit detestabilior: quo magis cæcitas corporis cum mentis cæcitate conjungitur. Sicut enim Sodomæos, flagitiosissimos homines, gravis error sequebatur eo tempore, cum oculari cæcitate, i. e. cæcitate percutebantur: non quasi oculos usurpare haud possent, sed quia vim cæcitatæ ejusmodi sentiebant, qua oculus ab eo, quod videt, avertitur, idque præterit, ac diverso in loco requirit; quo modo & Elifæus, vir sanctus,

(a) Jac. Ziegler, Comment. in Gen. 22. 2. & Exod. 6. 19. Gen.

à Dotha oppido Syros averterat: (a) ita multo magis illi, quibus cum luminibus corporis animi & bonæ mentis lux extincta est, in deterrimam ferè calamitatem erroremque exitiabilem dejiciuntur, simulque à via regia, quam terere per improbitatem morum nesciunt, in desperationis quandam Labyrinthum defleunt. Tunc Harpacte, fatuus anus, statim ac videre desinit, culpam suorum vitiatorum in rem transfert alienam: domum, ubi diu commode habitavit, tenebrosam esse obtendit: Pædagogumque rogitare

(b) Senec. ep. 50.

non intermittit, ut migrare domicilium tam triste ne dubitet: (b) Carulus Messalinus cæcitatæ malum sævitia exauger: luminibus orbarus Polymnestor sororis filium suæ fidei traditum immani crudelitate necat, Polydo-

(c) Gutheri. in Tiresia.

rum: (c) Polyphemus, Deum contemtor, effosso, quem unum in fronte genuit, oculo, cultum Deorum, ut ante, vehementer, imo & pejus exagitat; stultum ratus, de religione vel Diis sciscitari velle. (d) Quorum vero

(d) Hom. Odyss. l. 9.

animis lumen affusum est melius: eis tantum abest ut noceat, aut detrimentum afferat cæcitas, sua, ut potius per hanc ad arcem sapientiæ & felicitatis apicem sepe numero perveniant. Etenim rerum gestarum fides nos admo-

(e) Hom. Odyss. l. 10.

net, posse oculis captos sapientiæ laudem adipisci: posse consiliis atque laboribus prodesse plurimis: posse etiam, ne pluribus insistant, literarum gloria artibusque alios antecellere. Tiresiam, illum Jovis Prophetam, ut Pindarus ait, destitutum visu, sive quod Junoni ualde iniquam tulisse sententiam videretur, sive quod Minervam conspexisset nudam, inter viros eruditos nescire arbitror neminem. Ast quanta in vate hoc sapientia! Siquidem de futuris consultus varicinabatur, & solus habebatur is, cujus mentes

(f) Insc. 95.

firmæ essent, cum reliqui mortalium velut umbræ volitarent. (e) Doctrina par Homero non reperiebatur; cujus de præstantia malim equidem tacere nunc, quam pauca dicere. Et hic tanti ingenii Poëta orbis oculis fuisse dicitur. Quanquam mihi nullus facile persuaserit, cæcum eum in hanc auram prodiiisse, cujus picturam, non poësin videmus. Nam quæ regio, quæ ora, qui locus Græciæ, quæ species formæ, quæ pugna, quæ acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum non ita explicitus est, ut nisi ipse vidisset, vix, ut ita videremus, effecisset? Placet enim Tullianam sententiam verbis Tullianis immutare. (f) Quem proinde si quis cæcum genitum

(g) Velleg. Hist. d. 1. c. 5.

putaret: omnibus sensibus orbis esset. (g) Ex oculorum morbo laborasse eum, indeque usuram lucis perdidisse; postea à Cumanis dictum Homerum, (nam cæcos illi *ourous* appellitant) cui antea Melesigenes nomen fuerat: tandem in Chio Insula carmina docuisse pueros, Herodotus auctor est. (h)

(h) In vita Homeri.

Scili-



Scilicet huic Insula Poëtarum principem natales debere, ex eo probat Alla-  
 tius: quod diu post Homeris tempora successores Homeris in eadem Insula  
 ab Homero Homericæ vocati nobile nomen tulerint: Homerus ipse ibi ha-  
 buerit domum, in qua ætatis incunabula ac potiorē vitæ partem consum-  
 serit: quod Chii numisma curaverint excudi, in quo ex una parte Homeri  
 imago, ex altera Sphingis, illius urbis insigne, cernebatur: quod ipse  
 Poëta professus fuerit Chium patriam, ut legere est in hymno,  
 quem in honorem Apollinis apud Delios cecinit: denique quod auto-  
 ritatibus ea res confirmetur Simonidis, Pindari, Theocriti, Euthymenis, <sup>(i) Leo Allat.</sup>  
 Constantii Imp. Themistii, Claudiani. (i) Quocumque vero casu colores in-  
 ternosse deserit, vel ex morbi languore, vel longa senectute, vel apum, quæ <sup>de patria</sup>  
 miserum vexassent, aculeis: (k) illud verifimile fit, oculis illum à natura <sup>Hom. c. 13. 14.</sup>  
 parum valuisse, cæcunq; inde paulatim vocari cœptum, quod remotiora <sup>[k] Ovid. in</sup>  
 ægre admodum apprehenderet: sequentes vero annos omnem videndi fa- <sup>lun.</sup>  
 cultatem abstulisse. (l) Huic Ophionem, Messeniorum vatē, adjungo, ita <sup>(l) Car dang</sup>  
 tim à natali die captum luminibus, quem nihilominus ferunt publice priva- <sup>d. utilitate</sup>  
 timque vaticinia peregrisse: post vehementem capitis dolorem visioni re- <sup>ex adversis</sup>  
 stitutum illum quidem, non multo autem interjecto spatio prioribus sub- <sup>capienda c. 6.</sup>  
 mersum tenebris fuisse. Neque Achillem illum Harleum, Senatus Parifera- <sup>l. 2.</sup>  
 sis Præsidem, caligo oculorum seni obducta inhibuit, quo minus intentum  
 animum velut arcum haberet: ne deficeret unquam ætatis imbecillitate, aut  
 otio torperet: utque potius domum amplissimam regeret, teneretque au-  
 toritatem in suos; in Patronos fori etiam imperium, utpote qui usque ad  
 mortem coluerunt eum tanquam patrem. (m) Huiusmodi sapientiæ cupido [m] <sup>Guthberg</sup>  
 movit Democritum, veterem Philosophum, ut sua sponte vigorem oculorum <sup>l. c.</sup>  
 elidi solis radiis ac mori pateretur: quia existimaret, cogitationes com-  
 mentationesque animi sui in contemplandis naturæ rationibus hebetiores  
 fore, si eas videndi illecebris & oculorum impedimentis liberasset. (n) Movit <sup>(n) Cell. NB.</sup>  
 et Merodorum, ut cæcitatem ipse sibi acceleraret, ne oculis videlicet per- <sup>A. l. 10. c. 17.</sup>  
 spicacior in rerum contemplatione hebesceret, aut à studio sapientiæ avoca-  
 retur. (o) Movit Passeratium, non ignobilem Italiæ Medicum, cum altero <sup>[o] Guthb. l. c.</sup>  
 captus oculo, alterum senex legendo perdidisset: ut orationem luculentam  
 haberet de commodis miseræ suæ, & in hoc se beatum prædicaret, quod à  
 cæcitate virtutis genuinæ indolem arripere atque adversus fortunæ minas a-  
 nimum invictum præstare didicisset. Movit quin etiam Jac. Schegkium à  
 puero lusciosum, sed succedente tempore omnino cæcum factum, uti majore  
 alacritate studia aggrederetur, quam antea, quasque revolvens vetera cogi-  
 tando, meditando, vigilando caveret, ne externo orbatus bono miser vide-  
 retur. Falsus idem non semel est, sese in vita vidisse multa, quæ malu-  
 issent non videre: optare, ad nonnulla etiam surdum fuisse. (p) In istis igit <sup>[p] Adamus</sup>  
 tur & aliis cæcitatibus damnum sapientia pensavit. Eorum vero non minor <sup>in vit. Medic.</sup>  
 numerus est, qui clausis quantumlibet oculis operæ studii que plurimum con- <sup>p. 294.</sup>  
 ferrent in rempublicam eamque consiliis saluberrimis juvare & laboribus  
 non recusarent. Appius ille cæcus, cum per ætatem ambulare non posset,  
 sella in Senatum vectus, magna oratione, ne pace facta, Pyrrhus in ur-  
 bem acciperetur, obrinuit. (q) M. Livius Drusus, Jureconsultus, ea in <sup>[q] Liv. l. 13.</sup>  
 dustria ac studio fuisse traditur, ut & ætatis viribus & acie oculorum defici- <sup>Plut. in vita</sup>  
 ens jus civile interpretaretur, confluentibus ad eum hominibus, quibus cæ- <sup>Pyrrhi.</sup>  
 citas pro oculis, pro face ac die esset. Nam ut senem illum natura, & cæcum  
 fortuna facere potuit: ita neutra valuit interpellare, ne non animo & vide-  
 ret & vigeret. (r) Timoleon Corinthius, cum ætate jam provecus esset, <sup>(r) Rutilius</sup>  
 sine ullo morbo lumina oculorum amisit. Quam calamitatem ita modera- <sup>in vitis vet.</sup>  
 te tulit, ut neque eum querentem quisquam audierit, neque eo minus pu- <sup>J. Crorum. p.</sup>  
 blicis privatisque rebus interfuerit. (s) Cn. Aufidius sententiam in Senatu di- <sup>208.</sup>  
 cebat, nec deliberantibus amicis opem ferre recusabat, Græcorumque res <sup>Tim. l. c. 4. l. 9.</sup>  
 gestas cæcus exposuit. (t) Jac. Bocellum & ipsum cæcum vidit, cum Au- <sup>[t] Cic.</sup>  
 gusto



JK III 6461 X 303 452

gustoriti Pictoni juri operam daret, Gutherius. Ille & legum & consuetudinis patriæ, qua municipes utuntur, ad respondendum pariter & ad cavendum adeo peritus erat, ut verè de eo dici poterit, quod de se Apollo apud Ennium: se esse eum, unde sibi, si non populi aut Reges, at certè tamen

(u) Et nostra ætate oculorum usu privatum, sed nihilofectus docte & excellenter de jure respondentem novimus Husanum, Jctum Lipsiæ celebratissimum. Jam sicut cæci quidam præstiterunt sapientia, prudentia, diligentia: ita reperias, qui doctrina & literarum studiis multos post se relinquerent, cum potioribus etiam certarent. Diodoros Stoicus in disciplinis honestarum artium, inque fidibus Pythagoræorum imbibebat mores, quodque mireris, in Geometria pernoscenda illustrandaque plurimum versabatur. (x) Didymus Alexandrinus in pueritia, cum literarum elementa vix edoctus esset, videndi facultate ex morbo gravi destitutus Poëticam, Rhetoricam, Arithmeticam, Geometriam, Astronomiam & doctrinam Syllogismorum Platonisque eloquentiam aurium adjumento percepit; non tam ut cognosceret hoc pacto veritatem

cælestem, quam ut contra mendacia veritatis sese armis præmuniret. (y) Fertur autem literarum formas in tabula incisus altius, digitis, solum pertractando, syllabas item & nomina ac reliqua deinceps sola mentis comprehensione assidueque auditione rerum; auditorum recordatione addidisse, Camillus Falconetus, Senensis, natura cæcus inter Poëtas eminuit, quamobrem eum eximia laude Posthicus profecurus est. (z) Nec filendus mihi vel in ista festinatione est M. Huldaricus Schönbergerus, qui linguas varias Latinam, Græcam, Hebræam, Chaldaicam, Arabicam & Gallicam hauserat, & discipulis apte commodeque tradiderat. Neque solum aurium ope linguas enumeratas arripuit; non solum artes optimas & scientias tanto ingenio dignas sectatus est & memoria comprehendit, Physicam, Methaphysicam, Logicam, Arithmeticam: sed etiam fidibus scienter canere, sed metam præterea ferire, ubi ex sono ejus locum notasset semel, & palman reportare sæpius contigit. (aa) Adderem Nicasium de Værda, Mechliniensem, captum oculis à tertio ætatis suæ anno, & ob id elementorum quoque omnium naturaliter penitus ignarum, quem discendi cupiditas, & magnitudo animi, & rerum divinarum cognitio, & juris dicundi promittitudo Theologiæ Licentiarum, unaque J. U. Doctorem velut grande miraculum posteritati commendavit. Quippe audientium aures orator sacer pellexit non minus, quam perculit, & justitiæ sacerdos suspensas deliberantium voluntates firmavit, stabilivitque. (bb) Non præterirem M. Joh. Schmidium, Nordlingensem, præconem Dei pro suggestu oracula sacra cum præsentium stupore sonantem: nisi ad propositum properare necesse esset, cujus gratia hæc præfatus sum. Sunt videlicet quidam nostrorum discipulorum, qui exercitationem filii coram Patronis & Fautoribus instituere sui officii esse duxerunt. Itaque cæcum Hierichuntinum, cujus pia desideria in præterito Evangelio audiebamus & adhuc dum recolimus, respicientes cæcitatem sibi contemplandam & temperato orationis genere, Ciceronem plerumque secuti, proponendam fumsere. Itaque

[x] Cic. Tuscul.

[y] Socra. Hist. Eccl. l. 4. c. 25. Soc. 7om. l. 3. c. 15. Theodor. c. 29. Hist. (z) Adamus in vit. Med. p. 335.

(aa) Har. knoch. Hist. Bornsh. 2. c. 11.

[bb] Matth. Dresser. Chron. Sax. p. 480.

- I. JOHANNES GEORGIUS Jörn/Meerano-Mifnicus, benevolentiam aucupabitur ab honorat. Dnn. Auditoribus, allaturus virorum aliquot clarorum subtilitates ineligendis, de quibus disputarent, materiis.
- II. GEORGIUS DAVID Bögset/ Libenwerdenfis Saxo. Cæcitatem vituperabit.
- III. SIGISMUNDUS SCHMIEDERUS, Langen-Rhensdorffensis, Mifnicus, cæcitatem commendabit.
- IV. CHRISTOPHORUS PFLUGK, Cygneus, de utriusque sententia pro modulo nostro judicium feret. PP. Cygneæ, d. 21. Febr. An. Chr. 1703.

FK  
121  
46

II n  
6961

*De viris praestantissimis in Republica.  
et doctrinae caecis.*

AD  
AUDIENDAS ORATIUNCULAS  
DISCIPULORUM NOSTRORUM

De

# CAECITATE

DIE

IN AUDI

Venerandos Dni

Fa

Perofficio

M. GEORGIUS A

CIGNEAE, LIT



*Excellent H. J. J. J.*  
*man. J. J. J. J.*

